



\*

Vitt. Gud. fmg. 1247

2

ACADEMIÆ LIPSIENSIS  
RECTOREM MAGNIFICVM,

VIRVM

NOBILISSIMVM, AMPLISSIMVM, EXPE-  
RIENTISSIMVM, ATQVE EXCELLENTISSIMVM,

**IO. CHRISTIANVM  
SCHAMBERGIVM,**

PHILOSOPHIÆ ET MEDICINÆ DOCTOREM CELE-  
BERRIMVM, ANATOMIÆ PROFESSOREM PVBLI-  
CVM MERITISSIMVM,

NATIONALEM SVVM DESIDERATISSIMVM

D. VII CALEND. SEPTEMBR. A. S. R. c15 1566VI

SOLENNIBVS EXEQVIIS ELATVM

LVGET

**NATIO BAVARICA,**

1566



Olve pias lacrymas, Elegeia, solve capillos,  
Alternoque tuo jam modulare pede.  
Omnia jam resonant luctu per Palladis ades,  
Ipse sedet niveas jam Dea scissa comas.  
Pectora nunc foedans palmis, nunc unguibus ora,  
Circumstat miseram turba novena Deam.

Jamque silet, tacitumque premit sub pectore vulnus,  
Et refugit medicas jam Pater ipse manus.  
Scilicet heu! Princeps, quem fecerat ille potentem  
ceptrorum & Solii, nunc cadit ante diem,  
Heu cadit ante diem charissima portio nostri  
Ordinis, æthereas & subit alta domos,  
Cur Francos, dilecte, fugis? quid fecimus? aut quo  
Crimine Francorum læsus ad astra fugis?  
Annon externum Te nostrum fecimus omnes  
Haud agre, & nostro jussumus ire loco?  
Annon, quo decuit, nostrum pietatis honore  
Percoluit dotes quisquis, Amice, Tuas?  
Pallia quod jam jam, quod murice pileus ardet,  
Sceptraque quod prentas, hæc bona nostra vides.  
Tu quoque Francorum dignissimus ordine, dignus  
Sceptris, purpureo firmate dignus eras,  
Nam simul ac nostri facta est Tibi copia Pindi,  
Vix puer intraſti Caſtalidumque domos,  
Qua data porta ruis per amœna cacumina montis,  
Carceris impatiens, impatiensque moræ.  
Nil niſi ſumma petis, ſummum meditaris Olympum,  
Deſpicias & vulgus ſub pede montis iners.  
Non ſecus ac Nereus obſeptus murmurat undis,  
Nec bene fert pedibus vincula nexa ſuis.

Quum.

Quumque datur primū tenuissimā rimā, vagatur;  
 Et rapit indomitus, quod remoratur iter.  
 Aut velut, exoritur cum vox clangorque tubarum,  
 Stat sonipes, altis luxuriatque toris;  
 Nunc gressus glomerat, nunc spirat naribus ignem,  
 Nunc mandit spumis oblita fræna ferox.  
 Haud secus ingenium Nostri per culmina Pindi  
 Ingreditur, magnum sed caput astra ferit.  
 Jam didicit fraudes Morbonæ, & Dædala terræ  
 Gramina, jam medicas Musæ pererrat aquas.  
 Jam quid nostra ferat tellus, quid ferre recuset,  
 Quid ferus, didicit, Vesper Eosque ferat;  
 Quæ Coi docet arcta senis, quæ fusa Galeni  
 Pagina, quæ medicus scripta reliquit Arabs;  
 Et quid Philyrides, Amythaoniusque Melampus,  
 Quasque artes reliqui perdocuere Viri:  
 Omnia jam didicit, neque sic tamen ardor eundi  
 Cessat, nec studium hoc percoluisse fatis.  
 Artibus huic pleno superis nunc ima dehiscens  
 Perscrutanda diu viscera Terra dedit.  
 Quæque salus venis insit virtusque metallis,  
 Tartareisque opibus, Terra reclusa docet.  
 Jam tua canescens Virtus spatia ampla petebat,  
 Nec poterat tenebris delituisse diu.  
 Aspicit hoc æquis oculis Grynæus Apollo,  
 Musarumque choro talia dicta refert:  
 Hunc inter Proceres Pindi Philyresque supremos  
 Doctores Juvenem scribite quæso Virum.  
 Atria sic postquam fortuna reclusit honorum,  
 Canaque jam Virtus carcere missa fuit:  
 Heu mihi! quot spatia absolvit, quot pone reliquit  
 Exiguo spatio temporis iste Viros!  
 Emicat ante alios se multum ætate priores,  
 Grandævosque Viros post sua terga videt,  
 Si quando ascendit Virtus hæc pulpita, sacrum  
 Confluit ad templum quanta caterva virum,  
 Hujus ab ore Viri fundentis Hymettia mella  
 Nectar & ambrosiam quæ pia turba legit!  
 Ac velut Hyblææ volucres per florea prata  
 Ruris odoriferi depopulantur opes;

Sic

Sic ingens Nostri videas examen in horto,  
 Quod per odoratas itque redivitque rofas.  
 Artis Apollineæ tamen est sua maxima cura;  
 Majus in his terris non putat esse bonum,  
 Hanc colit, hanc aliis vult toto pectore cultam,  
 Hac celeres vitæ protrahit arte dies,  
 Dissecat hinc artus, & quæ signantius intus  
 Observat, servat pallida monstra sibi,  
 Testes funerei nobis, arx splendida, Circi;  
 Testes, quos habitat trux Libitina, lares.  
 Aspice, quæ sistit tibi tot monumenta Virorum,  
 Aspice, quot servat prodigiosa, domus,  
 Pluraque conspiceres, vitæ nisi nescia flecti  
 Atropos abscisset stamina sancta suæ,  
 Quid Viduæ curam referam, quæ prima beati  
 Tunc fuit imperii lausque decusque sui,  
 Quid referam prolem functo genitore relictam,  
 Cui Nostri studio lætius astra micant,  
 Quid referam extractos miseros ex faucibus Orci  
 Mille viros, artis summa tropæa suæ,  
 Protractos uteri referam quid faucibus arcti  
 Hac foetus virides obstetricante manu,  
 Quod multæ gravidæ prolique viroque supersint,  
 Agnoscunt matres muneris esse sui,  
 Quod multi pueri matrique patrique supersint,  
 Agnoscunt pueri muneris esse sui.  
 Hæc rapit una dies, una conduntur in urna,  
 Et tot divitias unica tomba tenet,  
 Fallimur: hunc totum frustra sibi vindicat urna,  
 Neve Viri tanti est unica tomba capax,  
 Mens superat, nescitque mori pars optima Nostri,  
 Et post exequias Fama superstes agit,  
 Non moritur, quisquis vixit bene, vivere solus  
 Definit, ignavi cui perire dies,  
 Jam premit Invidiam pedibus, sublimior Ira  
 Jam victor monstri spicula nulla timet,  
 Pascitur in vivis Livor, post fata quiescit,  
 Umbra victorem gloria nulla manet,  
 Ultima nox Tigresque domat, rabidosque Leones,  
 Haud acuunt dentes in pia busta feræ,  
 Tu quoque jam plenum misera de Sorte triumphum  
 Admistus superis sedibus hospes agis,  
 Jamque Triumphator, qui plenus honoribus exis,  
 Queis modo biga Virum Te sine digna fuit,  
 Æternum (sic quisque vovet) Salveque Valeque,  
 Nos omnes sequimur, quo movet urna die.

† † †



